

Et Kimbi
fatec, quos-
dam ex Lu-
dais hunc
Psalmu ex-
ponere de
regno Mef-
siah.

Psalms hic, quod ad typum attinet, de regno Salomonis compositus est, vnde & inscriptionem habet
שלמה: id est, Salomoni. Quod vero veritatem & perfectam illius adimplerionem concernit, de
Christo rege, ac regno illius, instinctu plane prophetico adornatum esse in confesso est. Partim habet
precaationem, qua & inchoatur, partim propheticam regni Christi delineationem: & in fine consueta so-
lomonis clauditur, versibus videlicet duobus postremis. Singula suis locis videbimus.

Non illibenter illis assentior, quorum opinio est, hunc Psalmum à Davide pro successu regni filij sui Sa-
lomonis compositum & populo decantandū exhibitum esse. Nam mox post illius finem subiunguntur hac
verba בלר תבל והרוד בררשי: id est, finiunt precaationes Davidis filij Isai. Liqueat enim Davidem,
Salomone filio in regnum inaugurato, mox vitam suam terminasse: vt non immerito credatur, quae isto
Psalmo ponuntur, vltima illius vota fuisse, in quibus etiam, spiritu prophetico, quo erat praeditus, regni
Christi felicitatem, potentiam, iustitiam, amplitudinem ac diuurnitatem attigerit.

VERS. I.



DEVS iudicia tua regi da, & iustitiam tuam filio regis.

2. Iudicet populum tuum in iustitia, & adflictos tuos in iudicio.

3. Ferant montes pacem populo, & colles iustitiam.

4. Iudicet adflictos populi, saluos faciat filios pauperum, & confringat calumniatorem.

LECTIO.

Vers. 3..

Ferant montes. [Ebr. ארשי. Græc. & vulg. Latina: Suscipiant montes. Hieron. Assument montes. Felix: Ex-
tollens. Pagn. Deferent. Camp. Adferant primores.

Vers. 4.

Et confringat calumniatorem. [Ebr. ארשי. Græc. & vulg. Lat. Et humiliabit. Hieronymus tamen legit:
Et confringet calumniatorem.

Vers. 1.

Deus iudicia tua regi da. Regem ac filium regis eundem dicit, in typo Salom. in veritate Christum.
Salomon, quoniam & rex erat & regis filius, typum in hac regia dignitate & profapia Christi veri
& vnici Regis, ac summi Regis filij gessit. Et David rex fuit, sed non filius regis. Reliqui Davidis
filij, regis quidem filij fuerunt, sed non reges. Salomon & regis filius & rex, vranque Christi & na-
tiuitatis regiae prerogatiuam, & regni dignitatem typo suo expressit. Etenim in regno Dei Chri-
stus & summi Regis filius, & inter omnes filios illius Rex est, Deus ex Deo, primogenitus filiorū
Dei, omnem totius regni Dei potestatem hæreditario iure possidens. Quid regi isti precatur hic
versus? Iudicium & iustitiam. Iudicium משפט, & iustitia צדק, hoc loco pro eadem virtute ponuntur,
qua videlicet quod iustum est defenditur, & quod iniustum opprimitur. Quod si quis iustitiam
hoc quoque loco non pro iudicandi rigore & æquitate, sed pro animi probitate sumendam esse pu-
tauerit, vt regi non solum optetur iudicandi rectitudo & æquitas, sed & probitas illa animi, qua
quæ populo sunt vtilia, etiam vbi æer. to puniendus esset, studiosè tamen procurantur, illi non ad-
modum repugnauerim. Et sanè virtus illa probitatis regi bono summo opere necessaria est, ne dum
omnia summo iure exequitur, non solum hostes regni, sed & ipsos ciues perdat. A quo petit ista?
Deus, inquit, da. Ergo vt rectè iudicent reges, & iustitiam seruent, donum est Dei. Et ideo non sim-
pliciter dicit, Deus iudicia regi da, & iustitiam filio regis: sed, Iudicia tua, & iustitiam tuam. hoc est. Da illis hanc
gratiam, vt quod apud te iustum est, iudicent. Habet Mundus sua iudicia, & suam iustitiam: verum
ita, vt quod verè iustum est, magis opprimatur quàm promoueat. Non enim verè ac rectè iudi-
cat, sed secundum speciem, & personarum acceptionem.

Vers. 2.

Iudicet populum tuum in iustitia, & adflictos tuos in iudicio. Ad quid regi orat dari iudicia & iustitiã Dei?
Vt illa sciat, & in sua potestate, seu vt velit, seu minus, habeat? Nequaquam. Iudicet, inquit, populum
tuum in iustitia, &c. Ergo pijsimus rex curam populi, quam à Domino acceperat, ex hac vita disces-
surus, transferri cupit in successorem filium, ne in extremis quidem affectum patris, quo erga po-
pulum erat præditus, ponens. Sit hoc exemplum pij regis. Deinde non dicit, Iudicet populum meum,
vel suum: sed, populum tuum. Agnoscit se seruum Dei, constitutum super populum non suum, sed Dei,
ne quid insolentiæ sit in dictione ac dignitate regis. Agnoscit hunc populum non esse seruilem, sed
liberum, qui cum summa sit diligentia, cura & timore Domini hoc nomine regendus, quod populus
Dei est. Iterum exemplum pij principis. Huc etiam pertinet, quod adflictionem eius populi agno-
scit, illosque adflictos Dei vocat: innuens Deum illorum habere curam, agnoscere eos pro suis, &
ægerimè ferre, si à rege negligentur. Cùm igitur David paterno ad mortem vsque affectu esset er-
ga populum sibi concreditum, quem agnoscebat esse populum Dei, populum liberum, & cum ti-
more Dei regendum: sciret item quanta sit calamitas, si à rege iudicium & iustitia negligentur, id
quod sub Saule visum fuerat: & cogitaret, quàm difficile sit & rarum, ac prorsus diuini muneris, vt
homo in regiam dignitatem euectus, nihil faciat præter ius & æquum, populum subiectum non fa-
stidiat & negligat præsertim miseros, multò minus premar, sed curet: prosperitatem regni ac diu-
turnitatem filio successoris apprecaturus, statim initio Psalmi orat, vt dante Deo iudicij & iustitiæ
seruans sit. Et hanc suam orationem populo ob eam causam proponit, vt discat, quid à Deo regi suo
petere debeat. Petamus igitur & nos regibus, principibus ac magistratibus nostris à Deo, vt det il-
lis iudicium & iustitiam, quibus subditos, populum Dei, ritè gubernent ac regant.

DE CHRIS